Quæstiones anno 1886

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ IN DIŒCESI STI GERMANI DE RIMOUSKI.

MENSE JANUARIO.

Camillus, cælebs jam ætate provectus, certum pinguem annuum percipit redditum ; nemini autem eleemosynam facit,—1o. quia ipse æger vel infirmus fieri, et tunc superfluo suo egere posset ;—2o. quia nullos pauperes novit ;—3o. quia isti, inquit, sive pigritia, sive pravis moribus, sive intemperantia, egeni sunt.

Quid de his prætextibus sentire debet ejus confessarius ? Quid illi præscribere ?

Quomodo intelligi debent undecimus versus tresque sequentes XI capitis Evangelii secundum Matthæum, necnon vigesimus octavus versus VII capitis secundum Lucam ?

MENSE MAIO.

1o. Quid intelligitur per *attributa* divina ?

2o. Quomodo dividuntur ?

3o. An et quomodo distinguuntur ab essentia divina, et inter se ?

Quæ sunt novæ breviarii rubricæ de occurentia, translatione et commemoratione quorumdam officiorum duplicium ?